

1987-01-05 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Frequentissimae’

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

FREQUENTISSIMAE

**TEMPLUM DOMINAE NOSTRAE MEDIATRICIS OMNIUM GRATIARUM,
QUOD EST IN DIOECESI S. MARIAE, IN BRASILIA,
AD HONOREM BASILICAE MINORIS EVEHITUR**

Ad perpetuam rei memoriam. – Frequentissimae dioeceses, urbes, templa, Brasiliam quasi stellantia, quae e Dei Matris Superumque nominibus nomina sumunt, indicio sunt et argumento eius nationis populum tantopere sanctos Caelites honorare, venerari, diligere, ut historiae cultusque sui iam ab origine participes quodammodo atque custodes fecerit. In his autem sunt certe fideles dioecesis S. Mariae annumerandi, qui castissimam Dei Matrem Mediatricis omnium gratiarum titulo et prosecuti sint usquequaque singularissimo amore, et prosequantur. Non ergo mirum, si Venerabilis Frater Ivo Lorscheiter, Episcopus ipsius S. Mariae Sedis, suo suorumque cleri atque populi nomine ab hac apostolica Sede petierit ut Sanctuarium Dominae Nostrae omnium gratiarum Mediatricis, quod est in sua dioecesi et urbe, in quoque fidelium pietas erga Deum eiusque Matrem ceu tepentissima flamma alitur, ad Basilicae Minoris honorem eveheretur. Cuius sane Nos templi dignitatem considerantes; item momentum ad sanctissimam Christi religionem propagandam atque augendam, precibus admotis aequo animo concedimus. Iis ergo probatis, quae Congregatio pro Cultu Divino de re egerit, factis olim a Nobis facultatibus, templum S. Mariae, cuius mentionem fecimus, ad dignitatem Basilicae Minoris evehimus, omnibus cum iuribus atque liturgicis privilegiis, ad tales Basilicas respicientes, modo ea servata sint quae iuxta Decretum «De titulo Basilicae Minoris», die VI mensis Iunii anno MDCCCCLXVIII factum, servanda sunt. Quod faustum, felix, fortunatumque sit, sive dioecesis S. Mariae Praesuli, sive eius gregi filiorum, quos benevolentiae B. M. V. committimus, nitentis itineris nostri sideris.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die V mensis Ianuarii, anno MDCCCCLXXXVII, Pontificatus Nostri nono.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis